



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 4. Vt non sine prodigo Israëlitæ, per mare, ad terram promiſionis; ita  
neq[ue] diuites ad cælum peruenire.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](#)

ferreum illi somnum conciliauit. Solito di-  
utiū famulis intus morari videbatur. Ex-  
pectabant tamen usq; ad multam vesperam.  
Et ferè iam tempus cœnæ erat, cùm somni  
prolixitatem mirati familiares, ianuam di-  
gito primùm, tum etiam pugno percusse-  
runt. Et quia arcte oppessulatae fores aditū  
non dabant, neque ullum ille audientis sig-  
num reddebat, malleis seras effregerunt.  
Ibi tremendum se exhibuit spectaculum.  
Namque episcopus, fractis miserandum in-  
modum ceruicibus, exanimatus, atro colo-  
re, aspectuq; terribili thesauris suis incu-  
bans repertus est.

## §. IV.

*Vt non sine prodigio Israëlitæ, per mare, ad ter-  
ram promissionis; ita neque diuites ad ca-  
lum peruenire.*

Fateor, non omnes diuites tali morte  
puniri; sed mortem alteram, inter opes,  
euadere, æquè difficile est, immò difficilius,  
quam camelum per foramen acus transire;  
aut in aquis non vuidum, in flammis non  
atrum fieri. Cuius rei clara imago fuerunt  
Israëlitæ, ad terram promissionis, per mare  
rubrum, tendentes. Ingens enim tunc pro-  
digium accidit. Diuisi sunt fluctus; & diuisi

N 2

à vento.

à vento prodigiosè. Steterunt enim utrīque fluidæ vndæ, muri, immò montis instar erectæ, & siccum, in medio aquarum, se detexit vadum, per quod tot populorum turbæ transierunt. Cur diuina sapientia voluit populum suum electum, hoc pacto, ad optatas illas sedes traducere? Cur eum nūibus non imposuit, & transuexit, sicut quondam familiam Noë in arca? Aut si tot cateruis nullæ classes sufficerent, cur non effecit, vt omnes, sicut postea Christus & Petrus, vndis solidatis, super aquas grade rentur? Nimirum, quia tunc Israēlitæ ambulabant onusti diuicijs Ægyptiorum, que illos premebant, & ex natura sua firmum exigeabant pavimentum. Nec tamen hoc ipsum siebat sine grandi miraculo, vt aquæ cederent, & se se in altum erigerent, instar ardui ac generosi caballi. Et vulgo inter mira computatur, si quis in profundo maris possit solum inuenire. Terra sancta patriæ cœlestis fuit figura; ad quam diuites auro & argento onerati, non possunt venire communī modo ac velut natigando; nec more Christi, aut Petri imitatione, quia hi sine mundi opibus incedebant, Christus enim non habebat, ubi caput suum reclinaret; Petrus

Matth.  
14. 25. &  
29.

Matth.  
8. 20.

trus autem dicebat: *Ecce nos reliquimus o-* Luc. 9. 28.  
*mnia, & secuti sumus te. Vnde & Christus,* Matth.  
*& Petrus ab oneribus mundi expediti, ac* 19. 27.  
*nulla re grauati, facile super aquas ambula-*  
*uerunt. At qui se se oneribus Ægypti gra-*  
*uant, opibusq; pressi ad terram æternæ pro-*  
*missionis volunt pertingere, possunt quidē,*  
*vt D. Augustinus copiosè ostendit, attamen*  
*egent non vulgari, sed peculiari diuinæ gra-*  
*tiæ auxilio, & misericordia singulari; vt se* S. Augu-  
*se illis tot maria periculorum aperiant, per* stin. ep.  
*quæ transeant tuti, neque in scopulos im-*  
*pingant, aut fluctibus sæcularium curarum*  
*hauriantur. O quot in hoc diuitarum ma-*  
*re non cum Israëlitis, sed cum Ægyptijs in-*  
*grediuntur, & merguntur! Grauant eos* 89. ad  
*annuli in digitis, vñiones in auribus, tor-*  
*ques in collo, aurum in vestibus, argentum*  
*in crumena. Grauant eos agri & fundi, gra-*  
*uant palatia & regna. Cum tot oneribus,*  
*ad terrā benedictam viuentium, sine gran-*  
*di miraculo non peruenitur. Ipsi torqueſ-*  
*sunt compedes, ipsa monilia sunt vincula;*  
*atq; in his mundi vehementibus aquis, au-*  
*rum fit plumbum; & quod laqueus est, pu-*  
*tatur ornamentum.*

Hilariū,